...spei publicae sacrum

ANATHEMA
SPEI PUBLICÆ SACRUM,

Jnter Solennia Vota,

DIVI JOANNIS CANTII
CONFESSORIS,

Jn Alma Universitate Cracoviensi

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris,

REGNI POLONIÆ TUTELARIS.

CUM

Novâ Peraugusti Capituli Posnaniensis benevolentiâ
Erga Divum Indigetem,

Jn Cathedrali Ecclesia Posnaniensi,

Prima Solennitatis & festivæ illius pietatis auspicia
ritu instituerentur triumphali,

Et Romana ad petrā Principis Apostolorū resonarent tripudia.

A quodam Academico

Pro incolumitate Perangusti Capituli Posnaniensis

Triumphalibus Aris

DICATUM.

Anno Natæ ad Aram Crucis Victimæ 1698.

Typis Academiæ Posnaniensis.

Illuſtriſsimis, Perilluſtribus, & Reverendiſsimis Dominis

PRÆLATIS CANONICIS

Totiq; Perauguſtô Capitulo Poſnanienſi

Academiæ Lubranſcianæ Mæcenatibus.



Beatus IOANNES CANTIVS Polonus S.Th. in Vniuersitate Cracouiensi Doctor Presbyter Secularis.

Obſtrictam figis jurato in pectore palmam,
Vivet quòd Divi Sacra Corona Petri
Principis in Cathedra ſedes conceſsa IOANNI
Hinc tendet geminas gratus ad aſtra manus.

AVt nos tenaci compede mancipat
Ignava tellus, vel malè conſcios
Cathenat artus inſepulta
Segnitie, gravidoq; preſſa
Rubigo ſenſu. Num prope decolor
Fatiſcit ætas, nec ſpecie nitet
Quâ fulſit olim, num tenemur
Tarpeij gravitate ſaxi?
Cur non nocivas excutimus moràs?
Cur non calenti ſurgimus orbitâ,
Nec mille plauſus, mille cantus
Lauricomo ſtruimus IOANNI?
Dignus triumphis omnibus,& modis
Quos Romá ſeris fida Nepotibus
Narrat cothurnato labore,
Et veteri canit in theatro.
Neſcit ſeveris nubibus obrui
Modeſta Virtus, quam ſuus eripit
Iniurioſis ſplendor umbris
Et tacitos fugat igne fumos.
Divine Doctor, quò magìs anxiam
Subire noctem niteris, hinc dies
Beatiori lege ducis,
Et veteres ſine nube ſoles.
Exile parvo te genus angulo
Ortuſq; celat, mox tamen àbditis
Subducit àntris glorioſum
Tot titulis Cathedriſq; Nomen.
Virtute clarum tum meritis Caput
Cûi mox ſecundas Cracia nexuit
Mater Coronas & togatos,
Auſpicio meliore faſces.

Sub jura flexit. Summus apex rei
Quo mox Aquinas Sol meritam sui
Doctoris exornare frontem
Nec dubias properabat Artes.
Sed Laureatis se pietas simul
Iunxit Coronis, & Sapientiam
Amplexa Virtus fœderatis
Vota sibi pepigere dextris.
Fecundus ardor tumq; sibi novas
Formare leges cogitat, & vetus
In mente pignus suffocare
Et celeres cohibere sensus.
In vana pronæ vim parat altiùs
Inferre menti frænaq; lubricis
In fæda votis, & voluptæ
Jngenium, tacitæq; fraudis
Artes, dolosis plena cuniculis
Portenta rerum territat undiq;
Hircanus error, & feroces
Jnnumeris species figuris
Hinc inde lústrat. Tunc sociam sibi
Famem coæquat tunc macie premit
Ieiuna castigatq; membra,
Et domitos moderatur artus.
Hoc præbet Iro, quod proprio rapit
Ori, sed illas mox recipit dapes
Quas antè misit, quippè nusquam
Deficiet pietas, sed ultra
Crescet receptis prosperitatibus,
Et quas egenis erogat usibus
Opes, beatiore censu
Restituunt superûm favores.

Sic,

Sic, quâ rigentis frigoribus senis
Tegit lacertos CANTIVS, en Toga
Rursus pependit ex adunco
Pendula quo fuit ante clauo.
Ferocientis nutibus ast heræ
Ancilla pronos approperans gradus,
Dum frangit ollam lacte plenam,
Supplet eam lacrymis ruinam,
Quam Cantiani vix oculi vident
Minuta mandat fragmina colligi,
Redintegratum vas & undam
In speciem dedit ille lactis.
Hirundo diræ quæ volucris stygis
Ædes pererrans Cælitibus sacras,
Arasq; stridore & volatu
Inficiens, capitur, draconis
Rursus figuras & genus induit:
Sed nec Draconis specta Virum movent
Allisa terræ monstra nutant,
Tartaream fugat ille Lernam.
Portenta rerum! quæ Dea iustius
Narrabit alti prodigium Viri?
Quis Phæbus aut Cyrrhæ Magister
Cuncta suæ monumenta vitæ.
Ergo sacratâ tu potius prece
Insiste, Divos gemma Poli, Ioves
Placare, mortalesq; curas
Fac supero referas Tonanti.
Vndæ potentes inde ferocias
Iramq; claudas. ne super ostiis
Laxisq; bacchetur procellis,
Ne gravidos populetur agros.

Quin

Quin & sacratæ fer Cathedræ decus
Priscamq; DOCTOR da speciem piæ
Cleri Coronæ, da nitorem
Et viduæ diade ma Sponsæ,
Primùmq; magnis splendeat usibus
Jllustre Lechi delicium, & stupor,
Et barbarorum triste fatum,
Vis SOLEÆ, speciosa merces,
Ac destinatum Laurigeris CAPVT
Vivat Coronis, quod sapientiæ
Census decorat, aureisq;
Quod meritis Themis æquat astris
Et LVNA vivat sideribus ferax
Vivant COLVMNÆ, tũ quoq; prosperis
Aptata metis stet SAGITTA
Et medio celebris SIGILLO.
Sed FASCIATVM tempus ad ultimum
DECVS perennet, saucia Patriæ
Ramenta sanet, & secũdos
Celsa RATIS petat inde portus,
TRINOS vel VNVM solis at æmulum
In luce firmes ac GLADIVM bees,
DRIASq; faustas triplicesq;
Prosperitas terat ipsa CAMPOS,
Quidquid decorum, quidquid amabile,
Triumphet in Te milleq; gratijs
Ductore firmetur JOANNE;
SCEPTRA vovẽt geminæq; CLAVES.